

num numerum auxerint voces illæ, quæ diversâ tantum ratione scribendi (quarum utramque apud veteres Librarios usu receptam fuisse constat) inter se discrepant, manente eâdem prorsus significatione vocis; veluti si scriptum sit, *ἰρήνη* pro *εἰρήνη*, *ἀντι* pro *ἀντι*, *εἰς* pro *ἰς*, *καὶ* pro *καί*, *ὑμεῖς ἔσθε* pro *ὑμεῖς ἐστέ*, & infinita alia hujus generis, quæ in Libris MSS. crebro occurrunt, τῷ *ι* pro *ει*, vel *ε* pro *αι*, & vice versâ, promiscue positis. Huc etiam refero τὸ *ἔγειρε*, quod apud *Marc. 5. 41.* & *Apoc. 11. 1.* Codd. quidam habent pro *ἔγειραι*, i. e. *surge*. Licet enim τὸ *ἔγειρε*, cum per *ε* in fine scribitur, hodie pro Imperativo Formæ Activæ semper accipi soleat; tamen cum sententia dicti loci manifesto Imperativum Formæ Mediæ requirat; & præterea constet, Librarios veteres pro vitiosa temporis sui consuetudine, pronuntiationis potius quam Orthographiæ normam sequentes, *ε* & *αι* nullo discrimine scribere solitos fuisse; dubitari vix potest, quin Librarius, licet *ἔγειρε* dicto loco scripserit, tamen de Imperativo Formæ Mediæ *ἔγειραι* cogitaverit; & proinde discrepantia illa pro variante lectione vere tali haberi non debet. Idem dictum velim de *θῆσεται* & *θῆσεται* apud *Luc. 2. 12.* Nam licet satis speciose dici possit, τὸ *θῆσεται* more Atticorum (apud quos verba Media, ut notum est, aliquando Passivorum vice funguntur) ibi positum esse pro *θῆσεται*: tamen id subtilius est, quam verius. Nam in *Novo Testamento* ejusmodi elegantiae Atticæ non reperiuntur. Quare dubium non est, quin dicto loco in *θῆσεται*, *αι* in fine positum sit pro *ε*; & proinde varians lectio illic locum non habeat. Secus est, si captiosa illa scribendi ratio loci alicujus sententiam reddat ancipitem, ut dubitari merito possit, utra lectio alteri præferenda sit: ut *Rom. 8. 38.* optimus Codex BORNERRIANUS (de quo postea) habet *δυναμεις*, absque accentu (nam totus ille Codex accentibus caret:) at versio Latina interlinearis, *virtus*, numero singulari: ubi dubitari potest, utrum Librarius numerum singularem *δύναμις*, an pluralem *δυνάμεις* exprimere voluerit. Rationes dubitandi sunt, non solum quod Latina versio, ut diximus, illic habeat *virtus*, numero singulari; & in Codice illo *ει* pro *ι*, & vice versâ, promiscue scribi soleat; sed etiam quod alii Codd. eodem in loco habeant *δύναμις*, per *ι*; & præterea sententia loci neutri lectioni repugnet. Hinc discrepantia illa in variantium lectionum numero recte ponetur. Simile exemplum occurrit *1 Joan. 4. 2.* ubi pro *γινώσκετε* quidam Codd. habent *γινώσεται*. Nam quamvis satis constet, veteres Librarios secundas personas plurales verborum sæpissime per *αι* in fine scribere solitos fuisse, ut *ἀμαρτάνεται* pro *ἀμαρτάνετε*, *βλέπεται* pro *βλέπετε*, *θῆσεται* (ut paulo ante diximus) pro *θῆσεται*, & similia, quæ pro Variantibus Lectionibus haberi non debent; tamen cum sensus dicti loci apud *Joann.* utramque lectionem & *γινώσκετε*, & *γινώσεται*, ferre possit, discrepantia illa in censum Variantium Lectionum venire debet.

Recensitis autem pluribus generibus Variantium Lectionum falsò ita dictarum, forte aliqui ex me quærent, an non Cl. MILLIO hujusmodi Lectiones Variantes pro verè talibus interdum obrepserint? Ad hoc repono, haud paucas certe Lect. Var. falsò ita dictas in Collectione hac Milliana reperiri; quas si vir *μακαρίτης* pro veris omnes habuit, (quod tamen minime credibile est, cum ipse sæpe Scribarum errores redarguat) absque dubio deceptus sæpe fuit; sin scivit quidem, non esse veras Lectiones variantes, at tamen eas quoque annotandas esse censuit, ne quicquam ejus generis prætermitteret; exactissimam ejus diligentiam meritò laudandam esse arbitror.

Cæterum, pauca tantum aliquot specimina Variantium Lectionum falsò ita dictarum Lectori hîc proponam. *Apoc. 20. 4.* ad vocem *πεπελεκισμένων* Cl. MILLIUS annotavit has lectionum discrepantias; *πέπελεκισμένων*, *πελεκισμένων*, *πεπλεκισμένων*; quæ variationes omnes sunt manifesti errores, partim Scribarum, partim Typographorum. Ad *1 Pet. 1. 23.* pro *σποαῖς φθαγῆς* ex MS. ALEXANDRINO affertur, *φθοῶς φθαγῆς*, quod itidem haud dubium est Librarii sphalma. *3 Joan. vers. 5.* pro *πιστὸν ποιῆς* Cl. MILLIUS Codicem *Barb. 1.* habere notat *μιθὸν ποιῆς*; quod ex Scribæ oscitantia profectum est. *1 Thess. 2. 7.* pro *ἡπιοι* quidam Codd. MSS. & Patres legunt *νήπιοι*; quorum posterius procul dubio est *ἀμάχημα* Librarii, qui eò facilius hîc labi potuit, quod vox præcedens *ἐγενήθημεν* desineret in *ν*. *Jud. vers. 21.* pro *πεσοδεχόμενοι* ERASMI Edit. 1<sup>ma</sup>, & *Ald.* (notante MILLIO) habent *πεσοδεχόμενοι*, quod mendum esse Typographicum nemo non videt. *Apoc. 4. 3.* pro *ἰεῖς*, Cod. ALEX. habet *ιερεῖς*, negligentia Scribæ; momente ipso MILLIO. Sed de his satis.

Quod ad secundum genus Variantium Lectionum, id est, *Dubiarum*, adtinet; eò præcipue referendæ sunt citationes illæ Patrum, de quibus exploratum non est, utrum fide & auctoritate Codicis alicujus veteris nitantur, an vero conceptæ tantum sint verbis, quæ memoria forte citanti suggerebat. De talibus ergo caute sententia ferenda est, ut neque

\* \*

illico

Handwritten marginal notes in the right margin, including the name 'MILLIUS' and some illegible text.